

# ORATIO

Habita in Comitijis Generalib9  
Regni Poloniae & Magni Ducat: Lit:

Ab

Illustrissimo ac Reverendissimo Dño  
Archiepiscopo Corinthi  
NUNTIO APOSTOLICO.

Grodnae die 15. Januarij 1679.

**H**abent profectò vndè sibi metuant, qui apud amplif-  
simos frequentissimosque confess<sup>9</sup> de re etiam gravissima dicturi  
sunt. Vixenim vnquam voto succurrit eloquij facultas, quæ &  
rei ipsius momento, & audientiu Majestati dignitatiq; respondeat.  
Hæc tamen quæ magis arduam Provinciam reddere videntur fi-  
duciam nunc mihi conciliant, dum de mandato Sanctissimi Domini Nostri In-  
nocentij XI. Sacram Regiam Majestatem, Vos Amplissimi Senatûs præclarissima  
Lumina, Vosque præstantissimos, & Generosissimos Inclyti Equestris Ordinis  
Delegatos sum alloquuturus. Siquidè nullo verborû delectu, ornatu nullo opus est,  
vt saluberrima Optimi ac Amatissimi Patris monita in recitatis modò literis expres-  
sa obsequetes filij grato animo excipiant. Iam diù hac ipsa de re Vestru sterit judiciu,  
quod & insigne fortitudinis Vestrae specimen edidistis, & filialè erga Sanctitatè suam  
observantiâ egregiè testati estis. Meis namq; Auribus insonant voces illæ vndequaq;  
circumfusæ, cum post fata Sanctæ Memorïæ Clementis X. cujus munifi-  
cam toties experri attollebatis sollicitudinem, pacem cum Turcis vrgenti neces-  
sitate tunc extortam, non tamen ineundam communis Vestrum dolor ferebat,  
si eandem prævenisset fama, quod Sanctissimus Dominus Noster Universæ Chri-  
stianæ Reipublicæ bono, Vestrae potissimum felicitati fuisset Divinitus datus, quem  
vota vestra precesque vnicè expetebant. Non ergo mihi timendum, quod  
quocunq; eloquentiæ præsidio destitutus debeam nunc dehortari à consilio re-  
tinendæ pacis, quam etiam deindè barbarus hostis violatis insitâ perfidiâ condi-  
tionibus adeò nunc magis indecoram, ipsaque confessione Vestra magis intolera-  
bilem efficit. Satis erit si dixerim quod Sanctitas sua parem generosæ oblationi  
Vestrae spem conceperit, & filialis invicè in se fiduciæ experimentum à Vobis præ-  
stoletur, dum Inclytam Nationem Vestram effulssimo ac verè Paterno amore  
suo indefinenter prosequitur, dum insuper Hostis veluti per triumphantis libidi-

A

nem



nem Pacta licet durissima temerè tamen elusif. Satis erit si reputem mecum fortissimis, totiesque victoribus agere, quorum mentibus antiquam gloriam, recentem injuriam obtulisse sufficiat, ut illa sese Vobis pro speculo obijciens, Vos Vobis ipsis ostendat, hæc quicquid est virium, quicquid justissimæ indignationis in ultionem concitet. Me etiam silente, aut non satis dicente domestica omnia, omnia externa vos adjurant, vos excitant, ut Christianæ Reipublicæ, Regno Vestro, communi saluti consulatis. Regale hoc folium in quo assvetum triumphare, ac ex tanta reducem Victoria constituistis regnatum; coactæ & postmodum violatæ pacis consilia omnia rejicere videtur & abrumpere. Illaque felicissima Comitæ Vestra, quibus tanti Regis designatione gentium expectationem impleri, sacrosanctæ fidei dignitatem asseri, Patriæ incolumitatē libertatēque firmari, tantum undique terrorem hostibus incuti mutuo cum plausu, vidistis, illud adhuc expetunt, ut tam excelsâ virtutē Vestro, hoc est fortissimorum prudentissimorumque judicio præelectam adjuvetis, & maxima ac gloriosa meditantem non deseratis. Hæc igitur argumenta percurreas, ut injuncto muneri obsequar, rem ornari nesciam simplici etiam candore proponam, uti decet Pontificio Nomine Paterna monita referentem, atque illum, qui honorificentissimum, sibi ducens jamdiu apud vos esse, Vestro etiam more, hoc est pro purâ liberaque veritate loqui debet.

Dulce quidem, ac præ cunctis amabilissimum ipsum pacis nomen, quæ Divinæ hereditatis potissima portio, solatium, faustitatem, cæteraque bona per bellum avecta veluti postliminio reducit. Fatigatur inde Cælum assiduis Ecclesiæ precibus, ut eam, quam Mundus dare non potest, in Regum, Principumque corda demittat, & belli uti exitialis facem penitus restinguat. Re tamen intimè perispectâ, non cuius paci, non cuius bello ista congruere manifestum apparet. Irrefragabili sacrae scripturæ oraculo sæpius docemur mandasse Deum Electo Populo suo ut bellum inferret, sive ad libertatis, aut finium tutelam, sive ad sui cultus temerè profanati vindictam, sive ad Tyrannorum scelestorumque superbiam perversitatemque compescendam.

Hæc omnia concurrerent, ut bellum Paci per vos præferendum justissimū, atque honestissimum convincatur. Sed illud acrius urget, quod pacem nullam habetis, belli autem necessitas continuò Vobis imminet. Nec enim prudentia, quâ polletis maxima, sibi persuaderi unquam patietur, ut nomen sibi pacis vsurpent conventiones illæ, quas barbarorum dolus fucosæ pacis contexit, ut blando delinimento illati exitialis vulneris lethalem vim mitigaret. Pacis quippe est præstare securitatem. Quam autem sperare possumus nudato Regno vastissimis frequentissimisque Provinciis, quæ ipsi tamdiu munimentum irreluctabile præstiterunt? ut jam tot etiam avulsis eis Camenecum Propugnaculis, in hostile arbitrium redactæ res Vestrae periclitentur. Pacis etiam est causas belli non rescicare solum, sed & stirpitibus evellere. Nunc verò eadem fecundiori germine magis succrescunt. Hanc in rem audistis Turcarum frequentes contra Vos inculpationes, ac si conquerentium, quod Pactis non stabis. Minationes nisi Moschorum amicitia renuntietis; exprobrationes quod fines Regni Vestri in proximo Commissariorum Congressu restringendos, nimis protendatis; jactationes quod suppositam illam pacem eductis Oppidorum habitatoribus primi violaveritis; dispositiones scythicarum stationum in limitaneis locis ad paratas excursiones, & tot alia quæ Classicum bello jam præcinnunt. Pacis denique est, unde & nomen, Pacta sanctè servare. Vereor autem ne in hoc Vos nimis offendam, si recenti dolori Vestro exponam munitissimas Arces, quas Vobis relinquere Turcarum

carum fraus spem fecerat, superbissimo deinde fastu extortas, si miseras Leopoliensium Obsidum reliquias promissam liberationem nondum assecutas, si sancta Solymorum loca Religiosissimis Custodibus non restituta, si tot Captivorum millia servituti & abusu barbarorum adhuc obnoxia, si ipsum, ut cætera fileam, Excellentissimum Legatum jure gentium semper inviolabili tutum post impletas durissimas condiciones tam diuturnâ morâ detentum.

191  
Pacem igitur nullam habetis, bellum necessario habituri, idque aut nunc per vos inferendum cum omnia favent, arrident omnia, aut per Turcas cum soluti alienis curis in excidium ultimum contra imparatos vires convertent. Injuriosus forem Nomini Vestro Inclyto, semperque glorioso, si in eandem consultationem Vos deducere, quam in Concilio bellicosissimæ gentis olim habitam legimus Utrumne scilicet libertas an Pax magis placeret. At verò præfens rerum vicissitudo ita fert, ut nec libertas sine bello diu esse possit. Habeat sibi barbarus hostis suam illam protectionem, cujus insanissimam largitione pacem per vos satis redimi credidit, ejusque contractum insolentius sædavit, vosque omnes horrore & indignatione replevit. Protectio enim Vestra à summo ultionum DEO, protectio Vestra à virtute, & robore Vestro. Hæc studia libertatis & belli non mentitæ pacis, non barbaræ protectionis publicam rem adeo extulerunt, his præceptis flos Inventuris excultus, his velut axibus circumacta gloriosè tot sæcula, his Ducibus præeuntibus itum ad æviternæ famæ fastigium.

Quamobrem & si libertas Vestra aliquando Paci cohererit, ut plurimum tamen & nunc potissimum libertas & salus à bello pendent, eodemque à Vobis inferendo, non sustinendo. Nec enim à saluberrimo hoc, & necessario consilio cohibere potest Religio servandorum Pactorum, quæ hostis prior cum elusione violavit, atque ita hostilis perfidia fidem Vestram absolvit, & quod dura sustulit necessitas juris æquitas reddidit. Ars illa semper fuit barbarorum ut abusu Contractuum, & juramenti viam sternant ad usurpationes. Hac fraude sibi nunc præcipue opus esse agnoverunt. Cretam Insulam tot annorum jacturâ, tantoque rerum suarum discrimine tandem expugnatam, non tamen sibi totam præsumpserunt subactâ cum adhuc Christiana Vexilla ijs arcibus ventilentur, quas illorum furor occupare non valuit. Ragusam ipsam erubescunt nunc quoque mirari constantissimè reluctantem indignisque conditionibus excidium præferentem. Vidit propterea hostilis perveritas sibi non minus arduâ vobiscum rem esse dum inhiaret locis, arte, situ, præsidio munitis, & nunquam occupatis, pro quibus Vobis relinquendis sponsores adjecit, sed hos deinde, exauthoratâ jam Exercituum Vestri parte turpis erga Tyrannum assentatio, aut voluntaria oblivione retinuit, aut simulato timore coercuit, atque ita tot etiam alijs, quæ in Pactis adscripta fuerant, violatis, solitæ inconstantiae, temerataeque fidei exemplum omnino vindicandum reliquit. Quinimò si violationem ipsam Pactorum seriò circumspiciamus, statim emicat, qualis hostium futura sit mens, qui anno superiori pudendâ fugâ Czehrino reduces, & ne Moschis Victoribus arma jungeretis solliciti adeo tamen superbè insultârunt, jura gentium, Pactorum firmitatem, promissorum implementum infregerunt. Hoc ipso anno quo vires illorum adeo accisæ, ut verius aceruo cadaverum suorum, quam Czehrinensium murorum ruderibus derelictæ Urbis excidio monumentum erigere possent, attamen cladem dissimulantes in speciem veluti triumphantium nova onera eadem perfidiâ vobis addiderunt, & continuo minitantur. Quid facturos illos putatis si re cum Moschis qualitercumque compositâ mole tanti belli leventur? aut quid si præter vanam

adeoque per ipsos decantatam simulatae victoriae imaginem verâ potirentur victoriâ? Quis limes, quis terminus arrogantiam illorum, & latè dominandi ambitum coërceret? servarent ne tunc Pacta, quæ tanta bis clade repulsi, nunc insolenter infringunt? Tunc scytharum dissimulatae impune excursions finitimis Provincijs Vestris vastitatem inferrent, vt nova ulterius membra anda effecta magis mutilum brevique elanguidum reliquum corpus efficerent, Tunc somnium illum Minoris Sarmatiae Principem emissarium suum, in spem propagandæ ditio- nis erigerent, belloque diviso vos involverent, vt deinde facilius opprime- rent. Tunc illâ quâ respicientibus procacissime obtrudunt protectionē in tyrānidē verterent, & quod miserranda Nobisq; propinqua, ideoq; magis ac magis timenda docent exempla Ungariæ, Transylvaniæ, Valachiæ, quas similibus artibus suis illaqueatas, & sub umbra protectionis defensione spoliatas in servitutem redegerūt, contra Vos etiam molirentur, vt Princeps Provinciarū tandem fieret sub tributo.

Non itaque retrahere ab inferendo bello vllatenus valet Pactorum Religio, quam hostis tot licet pressus angustijs temeravit. Neque pariter remorari Vos debet reparandam interim virium spes, quæ solet bellicum vigorem corumpere, generosaque sopire consilia, vt deinde hebescant magis arma, quam acuuntur. Utcumque tamen belli dilatio promptiores Vos paratioreque reddat, nonne eadem insimul promptissimos paratissimosque hostes efficiet? qui nunc alieno detenti bello minari quidem pro insita animi elatione possunt, nocere tamen, ac vobiscum congregari non possunt. At præ cæteris dolendum foret si dilatio hæc eam auferret rei gerendæ opportunitatem, quam Divina miserratio, quæ Regum Terræ corda gubernat clementissime obtulit.

Moschus Vobis conterminus, bello per se ferendo ac inferendo par Princeps tam late imperans, ætate florens, armis, opibus, obsequentissimâ suorum fide instructissimus, & quod præ omnibus æstimabilius Inclytæ Genti Vestræ tam propensus, & ultra exemplum adeo addictus Vos in præsentis belli societatem, sen- potius in Victoriae communionem invitat. Studet utique Turcarum, fraus de fide socij, de constantia fæderati, dubitationes vobis suggerere, quas non sola magnanimitas Vestra, sed ipsa etiam evidentia refellit. Adquid enim iteratis Legationibus sollicitare, adquid sacro juramenti vinculo solemniter se obstringere, ad quid Oppida & vasta Territoria Vobis restituere, ingentemque pecuniæ vim refundere, vt deinde in belli societatem evocatos desereret? Quod vri non honestum nihilque communibus vtriusque Gentis rationibus vile, ita ab illius Principis mente alienissimum censendum omnino est. Idcirco non vt amicos, vt fæderatos hostili arbitrio permittat, sed vt auspicijs strenuæ Virtutis Vestræ communis res peragatur, communisque atque immanissimi hostis tandem conteratur superbia, nuper vobiscum prorogatae tam diuturnæ induciæ Pacta honorificentissima adjecta, illudque pro æternâ sancienda pace propensissimum studium, quæ sunt recentissima indubiæ fidei argumenta. Sicut ergo barbarus hostis perpetuo periculo suo didicit Christianos Principes unitos vinci non posse: ita doceatur modò sapientissimâ deliberatione Vestra dolos, artesque suas irritas evasisse, vt disiungantur.

Orbis Christianus Univerſus à Vobis maxima & generosissima exigit, hancque ipsi fecistis exigendi fiduciam, dum vos & Majores Vestri cæteras Nationes assvescere voluistis, vt nihil Vestrum nisi fortissimum & gloriosissimum ad illas deferretur. Calamitas temporum, attritæ diutino bello vires, cæteræque exculationes, quæ alijs forte Gentibus suffragarentur, suffragari Vobis non possunt, quia tot partis difficillimo quocunquē tempore, & bello decoribus suf-  
fragari

fragari Vobis noluitis; Et eo quidem tempore quo Sanctissimus Dominus No-  
 ster qui ad supremi Apostolatûs apicem nondum euectus munificentia ac amo-  
 re incomparabili Vobis præstò erat, quique sui Pontificatûs auspiciatissima pri-  
 mordia in rebus Vestris erigendis ponenda credidit, nunc verè Paternâ ac inde-  
 fensâ sollicitudine causam Vestram protegit, ferventissimis precibus, & vberri-  
 mis lachrymis Deo commendat, sui quantum vires patiuntur, opes ærarij spon-  
 det, aliorumque Principum, quos ad id assidue excitat, subsidia promovet. Eo  
 inquam tempore, quo Serenissimum Regem fortissimum & invictissimum  
 Divina Clementia attribuit, quo Orthodoxa Regna jam serè omnia pacata,  
 ostentant auxilia, quo Princeps finitimus protracti fœderis jure Vos in commu-  
 nem, quem ipse nunc reprimit hostem, impellit. Utar ego ijsdem verbis, quibus  
 olim in frequenti confesso Vestro Pontificis Legatus Nominè Beati Pij V. In-  
 societatem Sacri fœderis Vos invitavit; Expositâ enim necessitate præcavendi à  
 Turcarum insidijs jam Valachia inhiantium, ne expugnato deinde munitoque  
 Chocimo cogere mini Cameneco perpetuo timere, & Transylvaniâ occupata ve-  
 luri quodâ aggere cincti, ac obsessi remaneretis: quæ mala facile potuissent averti si  
 Sacro vos fœderi adjunxissetis. Tandem adjecit Data vobis occasio est, qualem  
 Majores Vestri sæpe expetiverunt, iam si abire patiamini (falsus utinam vates sim)  
 valde vereor ne serò Vos nimij quietis studij poeniteat, serò me vera monui-  
 se prædicetis, sed major modò necessitas, majores vrgent angustia, non Tran-  
 sylvaniâ solum, & Valachia ab hostili potestate pendentibus, verum expugnato  
 Cameneco, Podoliâ, & Ucrainâ amissis, ut jam vndique cervicibus Vestris discrimen  
 immineat. Quid ergo non timendum si tantâ oblata opportunitate illam  
 elabi patiamini? Socij spe elusi rebus suis utcumque compositis desides tunc spe-  
 ctabunt, totumque belli onus in vos referetur, mirabiturque Posteritas, quòd  
 Moschis Oppida & ditiones amicè ac vltro reddentibus, in hoc etiam rerum  
 statu non sit satis creditum, de fide verò Turcarum, contra fidem ipsam Oppida  
 & ditiones occupantium non sit dubitatum.

Oh igitur sapientissimis mentibus Vestris eliminandum ablegandumque dila-  
 tionis consilium, dum quæ necessitas, reposcit arma, occasio præsens ac favens  
 alacriter resumenda ministrat. Temporis ratio, quæ consultationum arbitra-  
 summæ Pondus auctoritatis apud prudentissimos quosque obtinet, Vobis id per-  
 svadet, ad id impellit & vrget. Majores Vestri qui alienissimis temporibus a-  
 nimæ magnæ ac heroicæ prodigi vitas suas pro Religione, pro Patria, Deo im-  
 molârunt, palmisque pietatis & fortitudinis onusti evolârunt ad superos, anxij  
 sunt de deliberatione Vestra, à cujus memento salus aut exitium vertitur. Et  
 si sedem illam Beatissimam edax cura pervaderet, mirum, quantum de cuncta-  
 tione torquerentur. Fidem excederent, nisi Polona esset facta illa, quæ Or-  
 bis Christianus exultans, & præ gaudio gestiens quotidie commemorat, suisque  
 bellatoribus in exemplum indicat, cum scilicet parvâ Vestrorum manu tot sunt  
 deleti barbarorum Exercitus, tot Urbes, tot Infidelium Provinciæ exiguis co-  
 pijs Regno adjectæ: ut virtute Vestra fuerit toties comprobatum Divinæ scri-  
 pturæ testimonium, quòd non sit apud Deum differentia, utrum in paucis auxi-  
 lietur an in pluribus. Meum non est gesta tam augusta recensere, quia non ab  
 exemplis consilium est capiendum, sed ab insita pectoribus Vestris generositate,  
 quæ non patietur eadem deficere, ac veluti obliterari, sed curabit continuatâ  
 serie florescere, & perennare.

Ad præsentia transeo, meque statim abripit fulgor ille invictæ fortitudinis,  
 qui Sacra Regiæ Majestati Vestrae per triumphos, per palmas iter stravit ad soli-

um, totque strenuissimis Ducibus, & Commilitonibus ad gloriam. Europa  
 Nostra visa est Littoribus suis tantam Lætitiam non capientibus, ac ferè exilientibus  
 obviam procedere gratulabunda post Chocimense prælium, in quo dextera  
 Domini faciens virtutem contrivit barbarorum fastum, suamque causam per  
 Vos ipsos vindicavit. Non hyemis asperitas, non virium imparitas, non com-  
 meatuum difficultas, non munitionum firmitas impedimento fuere, quin hostes  
 internecione delerentur. Iamque Nobis facile pollicebamur Camenecum rece-  
 ptum, ipsumque Istrum triumphantium agminum trajectu superatum, ne infi-  
 gnis Victoriæ flos aresceret. Tantâ tamen mercede tantum malum displicere  
 non potuit, cum dilatio expeditioni tunc perniciofa. Sacram. Majestatem.  
 Vestram Regem dederit, & Locupletissimo fœnore moram pensaverit. Spem  
 & fiduciam Populi sui, quin & Orbis Christiani non potest Majestas Vestra non  
 implere. Altaria, Tempia, Loca Religioso cultui dicata, Sacræ Virgines, innoxij  
 Infantes, Regiones & Provinciæ, periculo semper expositæ, Arces illæ, quas hostis  
 prælio nunquâ Victor, nunquâ Armis subactas pernicioso tamè exemplo contra jus  
 fasque belli usurpavit, immans jugum excussuræ, Regalis Clypei protectionem  
 ore meo implorant. Tot pretiosissimo IESU Christi Servatoris Sanguine re-  
 demptæ animæ, quas barbara servitus indignissimè premit; Amplissimorum  
 Ordinum consilia, Conciviumque amantissimorum dexteræ; suæ Libertatis  
 vindices suppliciter exposcunt. Satis adhuc virium, satis vniûque spei, & si o-  
 mnia decissent, satis omnia ministrabit cura generosissimo Cordi Vestro semper ad-  
 hærens, servandæ fidei, & Nomini vindicandi. Ita olim vir fortissimus Iu-  
 das socios suos cum hostibus longè impari pugna congressi non auden-  
 tes, ad ipsam certaminis instantiam instruxit aureo vere monito. Ne faciamus  
 hoc enim gloriæ Nostræ hanc proferre sanamque extendere factis Vobis  
 semper obvium ac frequens. In Arcibus nostris, & in conspectu vestro  
 vestros amicos socios. In Arcibus nostris, & in conspectu vestro  
 Litandum quicquid est similitatum, quicquid dissidij, vniûque animorum  
 Altissimi donum DEI, antiquum robur Vestram non reparabit solum, sed cumula-  
 tissimè augebit, præstabitque ne Filij Nepotesque Vestri in tanto rerum discri-  
 mine luctuosâ hereditate graventur, debeantque Vobis succensere, qui non e-  
 amalacres arripueritis occasionem, quam futuri Temporis vicissitudo ipsis for-  
 san non offeret.

His alijsque longè pluribus, quæ Vobis pietas, & magnanimitas Vestra  
 fortius ac melius insinuabit per Divinæ misericordiæ Viscera Vos obtestor, vt  
 Zelo Sacrosanctæ fidei, æmulatione avitæ virtutis, splendore gloriæ per Vos  
 partæ; sollicitudine præsentium & posterorum salutis, vt semper fecistis, vtifa-  
 cturos non dubitandum, generosè ducti, & accensi; Re adhuc integrâ aut saltem  
 facillè reparabili, dignam Nomine Vestro, dignam expectatione Christianæ  
 Reipublicæ, dignam sæculorum plausu deliberationem iucatis.

